



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

6. Soluuntur aliæ obiectiones, quæ contra prædicta possunt fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

SECTIO VI.

Soluuntur alie obiectiones, quæ contra prædicta possunt fieri.

quare non potest omitti sine grauissima culpa, licet solum sit pars: neque enim omisso omnium partium habet parem indecentiam: pars quippe hominis est manus, & pars etiam sunt capilli; & tamen non ita necessarii sunt capilli ad integritatem, & perfectionem hominis, sicut manus: illi enim pertinent ad quandam decentiam, & finem secundarium: manus vero ad operationes, & finem primum. Sic etiam ordinatio Sacerdotum habet duas partes: prior dat potestatem consecrandi; posterior dat potestatem absolendi: & licet prior possit esse essentialiter sine posteriori, nunquam tamen potest dari una, quin teneatur Episcopus dare postea alia; quod si moriatur Episcopus, debet substitui alius, qui compleat ordinationem ne maneat incompleta.

Denique ex his inferitur, minus Theologicæ loquutos Henric. lib. 9. de sacrific. c. 9. §. 2. & Fagundez lib. 3. de 1. præcepto Ecclesiæ c. 4. n. 26. & c. 5. n. 20. qui dicunt, posse Sacerdotem in Missa non sumere quidquam ex hostia, quam consecrauit; sed illam in Sacrario seruare, & sumere solum hostiam, quæ antea in Sacrario erat: quod quidem absque illius auctoritate dixerunt, afferentes solum vinum (melius dissilient abulum) ex ignorantia quorundam parochorum, qui ita faciunt. Hoc tamen est contra sensum Ecclesiæ, & omnium Doctorum. Nam in primis Ecclesiæ in Rubrica Missalis sæpius admonet, si post consecrationem contigerit species sanguinis omnino effundi, aut in ipsis, vel in hostia venenum apparere; debere Sacerdotem aliud vinum, vel aliam hostiam consecrare, quam fumat. Hoc autem nec esset necessarium, nec licitum, si doctrina illorum Auctorum vera esset: si enim ad Missæ integritatem sufficit consecratio, & sumptio vtriusque speciei, siue fumantur, quæ tunc consecrata sunt, siue quæ in alia Missa fuerint consecrata: non oporteret in illis casibus aliam hostiam consecrare, sed sufficeret sumere vnā particulā consecratam ex Sacrario, vel etiam (si sanguis effusus fuisset) sufficeret ex alio altari accipere ab alio Sacerdote celebrante partem ex calice, & cum illo proficui Missam inceptam, & consummare Sacrificium, ad quod per te sufficit consecratio, & sumptio sacramenti aliā consecratio. Vnde inferitur, nec posse in illo casu adhiberi secundam consecrationem; hæc enim non potest absque ingenti Sacrilegio adhiberi, nisi necessaria sit ad perfectionem sacrificij. Sicut ergo non posset absque sacrilegio iterum consecrare Sacerdos, quando ex calice dimidia pars effusa esset, & dimidia remaneret; quia illa sufficit ad perficiendum Sacrificium: ita nec posset absque sacrilegio consecrare, cui tota hostia consecrata ablata fuisset, vel appareret venenata, si posset ex sacrario aliā accipere, vel facere, vt afferatur sibi ex alio altari; cum æque bene per te perficiatur idem sacrificium fumendo illam hostiam antea consecratam, ac si acciperetur dimidium hostiæ tunc consecratæ. Male ergo præcipit Ecclesiæ, vt in iis casibus iterum consecratur: quod idem omnes Theologi, nemine dempto, necessarium esse dicunt propter perfectionem debitam sacrificij. Ratio autem sumitur ex dictis, quia debet eadem victima consumi, & ideo iura non dicunt solum, sacerdotem debere participare in Missa de hoc sacramento; sed debere participare de eodem sacrificio: sic enim dicitur in Conc. Tolet. 1. c. 5. relato in c. Relatum 1. de consecrat. dist. 2. Nam quale (inquit) erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Merito ergo illam sententiam improbabilem omnino esse, dixit Ioan. Præpositus in præfati, q. 83. art. 1. dub. 7. n. 50. & nostram vt certam omnino supponit Gasp. Hurt. disp. 6. de Euch. dist. 9. in fine.

P. Ioan. de Lugo, de Sacramentis.

Restant adhuc alie obiectiones, quæ partim sunt ab Auctoribus, partim fieri possunt contra nostram doctrinam. Prima obiectio sit ex P. Vasquez, quia sacrificium Missæ repræsentat sacrificium factum in cruce; hoc autem non per sumptionem, sed per consecrationem repræsentatur, vbi corpus consecratur seorsum à sanguine; ergo sumptio non est sacrificium, sed sola consecratio. Respondeo, consecratione quidem repræsentari sacrificium crucis, sed sumptione etiam partialiter repræsentari. Nam sicut in cruce Christus cruenta occisus est, ita in altari incurrente sub speciebus consumitur: quare in Tridentino sess. 13. c. 2. dicitur, Christum præcepisse, vt huius sacramenti sumpione coleremus eius memoriam, & annuntiaremur eius mortem.

Secunda obiectio ex eodem Vasquez: per sumptionem destruantur ad summum species, non vero corpus, aut sanguis Christi; ergo destructio, quæ fit per sumptionem, non refert, vt dicamus, per ipsam sacrificari corpus, & sanguinem Christi. Respondeo negando consequentiam: nam in primis non requiritur ad sacrificium, quod destruat quolibet pars rei oblata: satis est destrui totum vt singula etiam partes dicantur oblata. Sicut in cruce materia Christi, vel eius anima non sunt destructæ, sed sola humanitas; & tamen eo ipso dicuntur oblata eius partes: sic etiam in præfati res oblata est panis celestis, constans ex corpore Christi, & speciebus, qui destruitur per sumptionem; quod sufficit, vt Christus etiam in eo contentus dicatur offerri, & sacrificari. Deinde, non vtrumque destruitur illud totum, sed ita vt substantia illius eximatur etiam humanis visibus, quibus antea erat apta; quod sufficit, vt ipsa etiam substantia per illam destructionem sacrificari dicatur.

Tertia obiectio ex eodem Vasquez: si sumptione sacrificaretur; ergo dum laici communicant, sacrificant etiam. Negatur consequentia; quia non quævis sumptio sufficit, sed quæ fit à legitimo ministro, & hac intentione sacrificandi. Quo etiam soluitur similis obiectio facta à Suarez, quod scilicet sacerdos, quoties communicat de manu alterius, posset sacrificare. Respondemus enim; si haberet animum sacrificandi posset sacrificare, non complete, sed incomplete eo modo, quo sacrificat feria sexta in Parasceue: ad hoc enim parum refert propria, vel aliena manu communicari: ceterum peccaret grauiter Sacerdos, qui talem animum haberet.

Quarta obiectio: in hoc sacrificio Christus est principalis offerens: Christus autem non se manducat in altari; ergo manducatio non est oblatio, sed aliquid omnino consequens. Respondeo; etiam in cruce Christus fuit offerens, & tamen non se occidit, sed exhibuit occidendum: sic etiam in altari se exhibet manducandum, quod sufficit, vt manducatio ipsa tribuatur Christo magis proprie, quam eius occisio: illa enim fuit solum permissiue: sumptio vero fit etiam ex eius præcepto. Adde, antiquos sacerdotes apud Gentiles non semper manu propria occidisse victimas, sed aliorum ministerio, quibus signum occidendi dabatur: quare poterit se Christus sacrificare, dum alius ex eius commissione illum sacrificat, vt videbimus sect. 7.

Quinta obiectio: certum est, Christum in æterna sacrificasse; non tamen est certum, sumpsisse hoc Sacramentum; ergo sumptio non est oblatio. Respondeo,

77.
Primo obiectio.

Respondeo.

78.
Secundo obiectio.

Respondeo.

79.
Tertia obiectio.

80.
Quarto obiectio.

81.
Quinto obiectio.

T Respondeo,

Respondet.

Respondet, licet non sit æque certum, Christum communicasse, ac est, obtulisse, est tamen satis certum ex Patribus, & omnium Theologorum consensu comprobatum, teste Vasq. *supra*, q. 81. art. 1. n. 83. Adde, non requiri, habere utrumque æquale in gradum certitudinis: nos enim non asserimus ut certum, quod sumptio sit oblatio, sed solum ut verisimilius; qua etiam verisimilitudine credimus, Christum eodem modo sacrificasse per consecrationem, & sumptionem.

82.
Sexto obiecto
Respondet.

Sexta obiectio, si sumptione sacrificatur, ergo illa hostia, quam Laicus sumit, nondum est sacrificata: ergo Laici non participant de hoc Sacrificio. Nego primam consequentiam; ad hoc enim, quod illa particula sit sacrificata, non requiritur, illam esse sumptam: sicut olim, ut totum vinum censeretur sacrificatum, non oportebat totum effundi, sed, aliqua parte effusa, totum sacrificabatur; ita etiam de hoc pane, & vino cælesti dicendum est, sumpta aliqua parte à Sacerdote, totum esse sacrificatum. Adde, totum, Christum in illo contentum esse sacrificatum, & in illa etiam particula, quam Laicus sumit, positum per consecrationem, quæ est essentialiter sacrificatio, ut diximus.

83.
Septimo obiecto
Respondetur.

Septimo potest obijci: si consecratio, & sumptio sunt partes ex equo huius Sacrificij, ergo sicut saluatur eius essentia in consecratione ante sumptionem, ita in sola sumptione sine consecratione inuenitur essentia sacrificij, & per consequens in die Parasceves datur simpliciter Missæ Sacrificium. Resp. non esse partes eodem modo: nam consecratio est prima, & præcipua pars, & quæ potest aliquo modo reperiri sine secunda; quia quando est consecratio, nondum est sumptio: at vero sumptio semper præsupponit essentialiter consecrationem iam factam, siue tunc, siue altera die; atque ideo semper est consummatio sacrificij iam facti: ex quo fit, sumptionem seorsum non dici simpliciter sacrificium, sed consummationem sacrificij: sicut in holocausto combustio victimæ post occisionem melius diceretur consummatio sacrificij facti, quam sacrificium simpliciter: supponit enim iam rem destructam, & solum tendit ad maiorem destructionem; quare sicut per augmentationem non dicitur produci equus, sed augeri; quia licet pars, quæ aduenit, habeat eandem essentiam equi, sed tamen supponit iam essentiam productam in partibus præcedentibus: ita secunda pars sacrificij, quæ supponit necessario destructionem, licet non integram, non tam dicitur sacrificiū, quam integritas, vel perfectio sacrificij. Quod si velis, illā etiam partem sacrificium appellare, erit quæstio de nomine, & dicam, ideo Patres negare communiter illa feria sexta fieri sacrificium, quia loquuntur de sacrificio integro, non de incompleto, & partiali.

84.
Octavo obiecto
Respondetur.

Sed contra potest adhuc esse octava obiectio: quia posset contingere, sumptionem esse primam, & unicam destructionem victimæ; ergo in ipsa potest consistere tota essentia huius sacrificij. Probatur antecedens, casu quo in triduo mortis Christi consecraretur: tunc enim iam præsupponebatur Christus mortuus, ac per consequens per consecrationem non destrueretur: solum ergo sacrificaretur tunc per sumptionem. In quo videtur esse discrimen huius sacrificij ab holocausto veteri; nam in illo semper victima supponebatur viua, ut offerretur, atque ideo prima pars sacrificij erat occisio: in nostro autē sacrificio potest victima præsupponi iam mortua, & per consequens solum capax secundæ destructionis, quæ fit per sumptionem; ergo non potest essentia huius sacrificij includere destructionem, quæ fiat per consecrationem: nam eiusdem rationis esset

hoc sacrificium oblatum in triduo ac est nunciatum; autem non includeret consecrationem in ratione Sacrificij; ergo nec modo illam includit.

Hæc occasione posset in præsentem inquiri, an ex vi præsentis institutionis requiratur semper ad oblationem huius Sacrificij, quod præsupponatur Christus viuus. Videtur enim id non requiri, quia Apostoli acceperunt potestatem offerendi sine illa limitatione, quando in cæna audierunt: *hoc facite in meam commemorationem*; ergo poterunt valide offerre illud sacrificium in triduo: imo ita videtur communiter supponi à Theologis cum S. Thoma *ad 2. sup. q. 76. art. 1. in corpore. & art. 2. etiam in corpore*, ubi dicitur, si in triduo fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis futurum corpus sine sanguine: quod videtur etiam passim supponere Theologi ad plures quæstiones de hac materia.

Aliunde vero posset videri non data ex vi huius institutionis potestas ad offerendum illo triduo: quia Apostoli acceperunt potestatem solum ad offerendum, & consecrandum nomine Christi, non ut successores eius, sed ut substituti, & mandatarij ipsius, per quos, ut per organa, & instrumenta sua, Christus loqueretur, & offerret: nunquam enim poterunt ipsi offerre seorsum, sed simul cum Christo offerente cum ipsis ut principali Sacerdote: ideo enim Christus dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, iuxta cōmunem Theologorum sententiam, quam videtur approbare Trid. *sess. 2. c. 1. c. 1.* ubi dicitur, Christum Dominum, quia Sacerdotium eius extinguendū non erat, ut se declararet Sacerdotem in æterna institutio secundum ordinem Melchisedech; ideo corpus & sanguinem suum obtulisse, & Apostolis præcepisse ut offerrent. Vbi appetit indicatur ideo Christi Sacerdotium dici æternum, quia Christo nullus Sacerdos succedit, sed ipse est principalis Sacerdos, qui in omnibus, & per omnes Sacerdotes noui testamenti offert; ideo enim, quia erat Sacerdos in æternum, instituit Apostolos Sacerdotes, ut per ipsos suum Sacerdotium exequeretur. Ideo etiam dixit Chrys. *hom. 17. in epist. ad Hebræos*, in hoc sacrificio eandem semper esse hostiam, & eundem Pontificem: & eodem modo loquuntur alij patres, quorum, & Conciliorum loca congerit Scortia *lib. 2. de Sacrific. c. 3.* Si ergo hoc sacrificium non potuit ex vi huius institutionis offerri, nisi à Christo, ut principali Sacerdote, & à Sacerdotibus ut secundariis ministris, & Christi nomine loquentibus, consequens videtur, non potuisse in triduo offerri, quando Christus homo non erat, Christus enim ut Deus, non erat Sacerdos, neque etiam anima Christi erat in rigore Sacerdos: nam licet anima in nobis retineat characterem Sacerdotij, non tamen est Sacerdos, ut fatetur aperte S. Bonau. *in 3. d. 22. q. 1. dicens*, Sacerdos Christus in triduo non fuisse Sacerdotem; & S. Thomas *ibi in 2. scripto sententiarum illad. 2. q. 7. m. 1. ad 3. tom. 17.* docet, in illo triduo Christum non potuisse exercere munus Sacerdotij, quantum ad oblationem sacrificij, licet retinuerit spirituale potestatem Sacerdotij. Si ergo Christus in triduo non poterat offerre, ergo nec Apostoli; quia Apostoli non poterant offerre, quin simul offerret Christus.

Hoc etiam probari videtur ex ipso modo offerendi: non enim acceperunt potestatem consecrandi, nisi per verba Christi, hoc est, per verba, quibus ipse oblationem sacrificij, licet retinuerit spirituale potestatem Sacerdotij, sed, *Hoc est corpus meum*, quando autem ille homo Christus non exiit, non videtur posse ille homo loqui: cū ergo in triduo ille homo non existeret, non videtur posse consecratio fieri

fieri nomine ipsius ut loquentis, & affirmantis, illud esse corpus suum.

88. Confirmari potest rursus ex usu antiquissimo Ecclesie non consecrandi illo biduo, donec Christus resurgat; cuius consuetudinis illa videtur esse ratio, ut significetur, mortuo Christo, non potuisse hoc sacrificium celebrari, donec resurgeret: quare dum eius mors singulis annis representatur, cessat etiam celebratio Eucharistie. Hanc rationem insinuasse videtur Guil. Durandus in *Rationali Divin. lib. 6. c. 77.* ubi, inter alias rationes, cur non celebretur illa feria sexta, hanc etiam adducit n. 37. quia scilicet recessit, & sublatum est verus Sacerdos, id est, Christus. Quod etiam videtur alludere Rupertus, & Richardus de S. Victore supra adducti. *sect. 3.* dum dicunt, illo die non sacrificari, quia non adest victima sacrificanda; quasi velint in triduo mortis Christi non fuisse Christum in statu, in quo posset offerri in hoc sacrificio. Hoc ipsum videtur indicare P. Aegidius in *presenti art. 1. dub. 4. n. 79.* ubi dicit, Christum nunquam voluisse hoc sacrificium celebrari, quin sub vtraque specie totus poneretur: constat autem, in triduo non potuisse poni totum sub vtraque specie. Sed clarius expressit utrumque Glossa in *c. 7. Titulum, de consec. dist. 2.* verbo Corpus; ubi proposito dubio hoc in terminis, respondet his verbis: *Respondet; nemo potuit ante resurrectionem consecrare verum corpus Christi, nisi Christus. Sic ergo data est forma, ut post resurrectionem hoc fieret, per illud: hoc facite in meam commemorationem. Ideo enim non cantatur Missa in illo triduo.* Hec sunt verba Glossae, cuius doctrinam refert etiam, & approbat Franc. de Rouere Minorita (postea Sixtus quartus) in tractatu de sanguine Christi, quem obtulit Pio II. qui manuscriptus servatur in Bibliotheca nostri Collegij Romani; & videtur favere Ledesma *q. 17. art. 1. dub. 5.* & alij, quos tacite refert Suarez *disp. 47. sect. 2. circa finem.* Quod si hoc ita est, posset ad rationem contrariam responderi, Apostolos accepisse potestatem consecrandi; sed tamen consecrandi nomine Christi, ac per consequens eo solum tempore, quo Christus homo existeret, sine quo ut principali sacrificante, non poterant offerre. Ad S. Thomam vero dici posset, cum non affirmare, illo triduo potuisse celebrari hoc sacramentum, sed solum loqui conditionaliter, si celebraretur, ponendum fore corpus sine sanguine sub speciebus panis: de qua conditionaliter non est dubium. Quo etiam sensu possunt intelligi alij Theologi, cum videntur illo exemplo ad aliquas quaestiones huius materiae; non enim definiunt absolute, an potuerit tunc offerri, sed solum dicunt, quid fieret, si offerretur, vel si conservaretur illo triduo aliqua particula consecrata in cena: quod ultimum fieri etiam potuit absque ulla controversia; & sufficeret hoc ad omnes illas quaestiones examinandas, & inquirendum, quid tunc esset in illa particula, an corpus ex sanguine, an anima, an forma cadaveris, &c. De illo autem alto exemplo fortasse non curat, nisi per modum exempli ad declarandum.

89. Hec non dicta sunt a me eo animo, ut aliquid in hoc puncto velim definire: video enim, modum communem loquendi in contrarium tendere, a quo non est facile recedendum. Quare alio modo respondere possumus ad difficultatem supra positam, etiam dato eo casu, quod celebraretur in triduo, non fore solum summptionem totam essentiam huius sacrificij: nam licet per consecrationem non destrueretur aliquid viuum, destruebatur tamen illud corpus; destruebatur, inquam destructione humana supra explicata, quatenus reducebatur ad statum illum Sacramentalem, in quo reddebatur inutile ad

P. Joann. de Lugo, de Sacramentis.

usus humanos corporis, & sanguinis; quare sicut Christus viuum per illam mutationem, & destructionem humanam sacrificatur, licet physice, & substantialiter non destruat; ita illud corpus per similem mutationem, & destructionem sibi proportionatam posset tunc sufficienter sacrificare in ipsa consecratione.

SECTIO VII.

Inferitur, an Christus sit offerens, & tota res oblata in hoc Sacrificio.

Inferitur primo ex proxime dictis decisio illius quaestiones, quae hic solet controuerti, an, & quomodo Christus sit principalis offerens in hoc Sacrificio. Certum est, Christum esse offerentem, ut definitur in *Trid. sess. 22. c. 2.* & ex aliis Conciliis, & Patribus probat late P. Suarez *disp. 77. sect. 1.* & P. Vasquez *disp. 225. c. 1.* & Scortia *lib. 2. de Sacrificio c. 3.* Dubium est, quomodo ipsi competat nunc offerre. P. Vasquez c. 3. cum quibusdam aliis dicit, id esse ratione institutionis, quatenus Christus instituit hoc Sacrificium, ut eius nomine offerretur, & applicuit ei sua merita, ut haberet efficaciam: quare Christus solum remote; Sacerdotes vero proxime, & actu offerunt: nam si Christus actu offerret, sicut alij Sacerdotes, Christus actu oraret, actu mereretur; quorum neutrum in praesenti statu potest ei competere. Ad quod confirmandum affert testimonium Simeonis Thelalonic. dicentis, plenum esse blasphemiam dicere Christum per preces, quae in Missa dicuntur, semper mediatorem agere. Sed certe, ut iam iterum monui, P. Vasquez non videtur agnouisse, qualis fuerit Simeon ille, scilicet modernus quidam Schismaticus, quem ut Ecclesiae hostem acriter insectantur, qui controuersias contra Orientalium errores ediderat.

P. Suarez è contra cum communi docet, Christum actu offerre, non solum quia instituit, vel quia applicuit efficaciam meritorum suorum ad hoc Sacrificium, vel quia voluerit in sui memoriam celebrari; hoc enim solum denotat causam exemplarem; sed quia actu offerat cum ipso Sacerdote, ut cum ministro suo, sicut Rex, qui per Legatum osculatur pedes Pontificis, dicitur actu praestare reuerentiam Pontifici; quia quod facit per alium operantem ex delegatione sua, vere dicitur ipse facere. Alioquin si oblatio actualis esset actio solius Sacerdotis, saepe esset mala, & insufficientis ad placandum Deum, vel ut placeret ipsi. Addit etiam, Christum actu concurrere physice cum Sacerdote ad effectum consecrationis, licet vere fateatur, hoc non requiri ad hoc, ut actu Christus offerat cum Sacerdote.

In hac controuersia vix potest esse quaestio de re: nam vtraque pars concedit, non requiri, quod Christus concurret physice ad actionem oblationis: item non requiri, quod actu habeat Christus aliquam voluntatem actualem physice existentem, quia nunc offerat: nam licet Christus nunc attenderet, nec sciret, imo licet per possibile, vel impossibile dormiret, quando offerretur hoc sacrificium, adhuc diceretur offerri à Christo, sicut dicitur Rex praestare obedientiam Pontifici, quando eam praestat Legatus, licet tunc Rex dormiat, vel non cogitet de hoc. Item vtraque pars admittit, non sufficere ad hoc meram institutionem, sed talem, qua voluerit offerri suo nomine: & multo minus sufficere applicationem meritorum suorum; potuit enim haec applicatio fieri ad sacrificium, quod nullo modo offerretur nomine Christi. Vere ergo nunc offert Christus, quia Sacerdos ex Christi institutione offert nomine Christi: quod sufficit, ut haec actio, moraliter loquendo, di-

T r 2 catum

90.

Conc. Trid.
Suarez.
Vasquez.
Quomodo
Christo com-
petat nunc
esse offeren-
tem.

91.

Parer. Suaz.
ref. dicit
Christum
actu offerre.

92.

Vix in hoc
potest esse
quaestio de re.